

20. Motus gratiæ abundantioris non semper æque sentiuntur. th. LX. Sic amor quidem Dei perpetuus mutui amoris constantiam exigit: at beneficiorum singularium inæqualitas fastidio nostro occurrit, ac desiderium gratiæ pariter & gloriæ acuere debet.

21. *Quapropter, fratres potius operam date, ut vocationem & electionem vestram firmam efficiatis: hæc enim si feceritis, non labemini unquam: siquidem ad hunc modum abunde subministrabitur vobis introitus in æternum regnum Domini nostri & Servatoris Jesu Christi: monente Petro. II. Ep. I. v. 10.*

22. Datur prægustus beatitudinis, fidelibus communis. th. LX. Itaque unus omnium sit amor, quo corda nostra inter se copulentur, cum spe plenioris & æternæ conjunctionis in vita altera.

23. Datur autem & excellentior ac rarior prægustus V. Æ. quo homines aguntur magis, quam agunt. l. c. Atque is abnegationem nostri, & renunciationem propriæ concupiscentiæ nobis commendat, ut per omnem vitam Deo dediti, ac voluntate nostra ipsius voluntati submissi vivamus, crucifigentes carnem cum affectibus & concupiscentiis, ut non tam nos vivamus amplius quam Christus in nobis.

24. Non solum perfectioribus in notitia sacra, sed & simplicioribus, beneficium prægustandæ beatitudinis Deus largitur. th. LXII. Scilicet non est προσωποληψία apud Deum. Atque eorum est, qui sapientiores sibi videntur, ut caveant, ne simpliciores contemnant, qui facile ipsos antecellere possunt.

25. Imo quia sublimium mysteriorum cognitio quædam absque sanctitate voluntatis esse potest, th. ead. notandum est illud: *si habeam prophetiam, & noverim mysteria omnia, omnemque scientiam, charitatem autem non habeam, nihil sum 1. Cor. XIII. Multi enim aliquando dicent: Domine, Domine, nonne per nomen tuum prophetavimus? quibus ille respondebit: Nunquam novi vos, Matth. VII. v. 22. 23.*